Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26007
Copyright: Admont, Benediktinerstift

malum. iccirco plena oculis describuntur. quia sanctorum actio ab
omni parte circumspecta est. bona desiderabiliter prouidens. ma
la sollerter cauens. Sed nos sepe dum aliis rebus intendimus. fit ut
alia neglegamus. et ubi neglegimus. ibi procul dubio oculum
non habemus. Nam ecce phariseus ad exhibenda abstinentiam.
ad impendenda misericordiam. ad referendas deo gratias oculum ha
buerat. sed ad humilitatis custodiam non habebat. Sequitur sancta lec
tio. Et publicanus a longe stans. nolebat nec oculos ad ce
lum leuare. sed percutiebat pectus suum dicens. Deus propitius esto mihi
peccatori. Dico uobis. descendit hic iustificatus in domum
suam ab illo. Quantam uenie fiduciam digne penitentibus prebet.
quod publicanus qui reatum sue malicie perfecte cognouit. fle
uit confessus est. et si iniustus ad templum uenit. iustificatus a tem
plo rediit. Typice autem phariseus iudeorum populus est qui ex ius
tificationibus legis extollit merita sua. publicanus uero gen
tilis est. qui longe a deo positus confitetur peccata sua. quorum unus
superbiendo recessit humiliatus. alter lamentando appropin
quare meruit exaltatus. Quod enim euidentissime prouidens
beatus iob ita dicebat. Effundit despectionem super principes.
et eos qui oppressi fuerant. eleuauit. Cum enim iudeorum populus in
legis mandato permaneret. et cuncta gentilitas nulla
dei precepta cognosceret. et illi per fidem principari uide
bantur. et isti in profundo pressi iacuerunt per infidelitatem. sed cum
incarnationis dominice misterium iudea negauit. genti
litas credidit. et principes in despectione ceciderunt. et hi